

§. VII.

Stoicæ tamen fatalitatis & Spinozismi doctrinas has accusare non possum.

Stoicum enim fatum non tantum non dependet a voluntate divina, sed eidem etiam resistit & divinam potentiam infirmat. v. Jac. Thomaf. de exustione Mundi Stoica diss. XIII. Wolffiana autem Mundi necessitas a Dei voluntate ratione existentia, ab ejusdem intellectu ratione essentia pendet. Spinoza omnem contingentiam tollit, observantibus id & D. D. Langio in Causa Dei adv. Atheism, p. 60. & Dn. Wolffio in comm, p. 21, & 29.

§. VIII.

Neque doctrina Wolffiana, si vel minimum mutaretur in hoc Mundo, non amplius fore eundem Mundum, a) de serie causarum innumerarum, quam regressum in infinitum D. Langius appellavit; b) de certitudine atque hoc respectu adferta necessitate eventuum in hoc Mundo; c) tanta continent pericula, modo rite capiantur.

a) notandum, Mundum Wolffio non tantum esse seriem simul existentium & ratione spacia connexorum, sed omnium etiam præteritorum & futurorum; deinde indenditatem h. l. rigore accipi, non in laxiori sensu, quo idem dicitur e. g. corpus humanum, cui perpetuo decedunt & accedunt aliæ particulæ.

b) in Ausführl. Entd. p. 5. satis enim D. Wolffius explicavit infinitum per indefinitum Comm. p. 53. quibus addendum est, nexum non tantum ex Causis efficientibus, sed etiam ex finalibus desumi. v. Bulfinger, Dilucid. §. 154.

c) Certitudo & Veritas, quando a cognitione humana ad objecta ejusdem res transferunt metonymice, sensum amittunt, interim ex necessitate hinc adferta Metaph. §. 561. denuo colligo, necessitatem, quam Wolffius eventibus Mundi tribuit, majorem esse necessitate physica.

§. IX.

Aeternum esse Mundum & hoc non obstante a Deo productum esse, utique contradictionem involvit. a) Ergo dum ex Mundi contingentia aliisque circumstantiis existentia Dei demonstratur, simul Mundi æternitas destruitur.

a) Causa enim est prior effectu, effectus posterior Causa, non prioritate vel posterioritate naturæ, quæ sensu carent, sed temporis, non tanquam Causa & tanquam effectus, hoc enim respectu Causa & effectus sunt simul, sed tanquam ens absolutum, ita ut e. g. pater prius fuerit homo, quam generatione pater factus fuit: Produci supponit antea non fuisse, idque tam evidenti veritate, ut Aristotelici privationem inter principia rerum naturalium referentes derideantur, non ob falsitatem, sed ob nimiam & superfluam quamvis verissimam veritatem, conf. Waltheri Eleatische Græber p. 60.